

capitulari, ut det tales attestaciones, vel debeat pendere ab arbitrio vicarii capitularis?

« VII. An in concursu parochialium debeat intervenire arbitrium vicarii capitularis, vel debeat pendere ab arbitrio capituli, facto concursu in presentia capituli, vel in absentia, et an debeat attendi consuetudo regni in casu, » etc.

Sacra congreg. Concil., in *Elven. Jurisdictionis* 1 Decembr. 1736, respondit: « Ad I. Negative; ad II. Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam. Ad III. Negative; ad IV. provisum in tertio; ad V. Negative quoad primam partem, et affirmative quoad secundam; ad VI. Negative; ad VII. Affirmative quoad primam partem ad formam juris; in reliquis negative.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Pacifica haud est opinio auctoris, n. 60, nempe quod et capitulum collegiatæ Ecclesiæ, defuncto prælato Nullius, debeat constituere vicarium capitularem; jurisdictionem enim remanere penes capitulum, nec teneri ipsum constituere vicarium capitularem, sentiunt Fagnan. in cap. *His quæ*, n. 77, De major. et obed., ubi quod ita resolvit S. congreg. Concilii interpres, Lauren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, quæst. 541 per tot.

(64. Capitulum vero cathedralis vel metropolitane Ecclesiæ non teneri in electione vicarii capitularis servare formam c. *Quia propter*, De elect., communis sententia est; ut rejecto Fresc. *De visitat.* l. 1, c. 24, n. 32, firmant Pirrhing ad t. *Decret. de offic. vicar.*, n. 77; Pignatell., *Consult. canonic.*, tom. VIII, consult. 34, n. 9 et 11; Garc., *De benefic.*, part. v, c. 7, n. 21; Leuren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, q. 550, n. 1.

(65. Hinc fit, quod necesse haud sit, ut hæc vicarii capitularis electio fiat per suffragia secreta. Leuren., *De vicar.*, tract. 3, cap. 4, q. 55, n. 2.

(66. Debet vero concurrere major pars suffragiorum, et quidem collegialiter præstitorum, ut valida sit electio vicarii capitularis facta a minori parte capituli: minime valida evadit per subscriptionem litterarum patentium factam a majori parte ejusdem capituli, cum non sufficiat consensus postea datus a singulis. Pignatell., *Consult. canon.*, tom. I, consult. 23, n. 7; Leuren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, q. 552 per tot.

(67. Coram quo et quomodo proponenda sit nullitas electionis vicarii capitularis, vide apud Leuren., *De vicar.*, tract. 3, cap. 6, q. 554 per tot.

RESPONSIO AUCTORIS.

(68. Pacificam non esse opinionem meam l. c. expositam, quod et capitulum collegiatæ Ecclesiæ, defuncto prælato Nullius, debeat constituere vicarium capitularem, in his *additionibus* astruitur: at mihi auctori sufficit pro mea opinione habere expressam declarationem sacr. congreg. Con-

cil. et doctores *ibi* allegatos. Imo ex resolutione sacr. congreg. Concil. adducta hiesub n. 1, ex Fagnano secuto a Leurenio locis *ibid.* cit. eruitur quidem, quod capitulum collegiatæ exemptæ, et nullius non teneatur eligere vicarium qui sit doctor, vel licentiatum in jure canonico; at non quod non teneatur eligere vicarium capitularem. Dubium enim propositum in sacr. congreg. Concil. relatum a Fagnano *ut supra*, erat sic præcise: « An decretum concilii in cap. 16, sess. 24: Quod capitulum Sede vacante, constituere debeat vicarium, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatum, locum habeat etiam in collegiata defuncto ejus prælato. Et S. congregatio censuit, non habere locum. » Ex quo decreto deducitur, sacram congregationem censuisse, Tridentinum non habere locum quoad necessitatem eligendi doctorem, at non quoad necessitatem eligendi vicarium, ut tradunt Barbosa in dict. sess. xxiv, cap. 16, num. 30; Pellegrin., *De vicario capitulari Eccles. nullius diocesis.*, sect. 5, n. 5, ex Garcia, *De benefic.*, tom. I, part. v, cap. 7, n. 20, ubi refert sic fuisse decisum a dicta sacr. congregat. Et ratio est, quia ut dicunt, si non est necesse, ut hic prælatus mortuus sit doctor, ergo nec etiam vicarius, ut censuit ead. sacr. Congr., *ibid.*, et notant Sbroz., in *Addition. ad q. 36*, § 1; Aloysius Rice. in *Collectan.* 1607; Ragucc., *De voce canonie. in Eccles.*, q. 36, num. 6, apud Pellegrin., *locis citatis*.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ vicarius capitularis facere potest, vel non.

Sequentia expende.

(1. Vicarius capitularis, sicuti capitulum Sede vacante, succedit episcopo in his quæ illi competunt de jure communi, non vero in his quæ sunt de jure speciali, sive delegato. *Communis*, per text. in cap. *Eam te* 7, De rescriptis, cap. *Cum olim* 14, De majoritat. et obedient. cum similibus; in vicarium enim capitularem canonice electum transfertur tota jurisdictio capituli, et jurisdictio vicarii capitularis in supradictis eadem est, quæ fuit episcopi. Sacra congreg. Episcoporum, in *Reatina* 21 Novemb. 1303, apud Nicolium in *Flosculis*, verb. *Vicarius capitularis*, n. 68.

(2. Vicarius capitularis potest concedere dimissorias ad ordines infra annum a die vacationis sedis aretatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, ut colligitur clare ex conc. *Trid.*, sess. vii, c. 10, De reform., et pluries declaravit expresse sacr. cong., et signanter in *Neapolitana* 11 Jan. 1604, et in *Aleriana* 24 Januar. 1653.

(3. Et aliquando conceditur facultas vicario capitulari, ut etiam infra annum a die vacationis sedis episcopalis possit concedere dimissorias ad ordines, cum voto tamen pleni capituli, ubi pro servitio Ecclesiæ id necessarium esse fuerit iudicatum, prout a sacr. cong. Episcop. concessa fuit vicarie

capitulari Antuerpiensis Ecclesiæ 15 Mart. 1593.

(4. Aretati ratione beneficii recepti dicuntur illi, qui obtinent aliquod beneficium requirens servitium personale, ratione ejus de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ vel fundatione infra annum teneatur se promoveri facere ad illum ordinem, quem requirit tale beneficium. Barbosa, *ad Trid.* citat; sess. vii, cap. 10, cum pluribus *ibi* citatis. Monacell., tom. III, tit. 2, formul. 3, n. 2, et alii passim.

(5. Aretati autem ratione beneficii recipiendi dicuntur illi, qui habent jus, seu sunt vocati, aut presentati ad aliquod beneficium vacans, seu capellaniam, quæ requirit actu certum ordinem, quo illi carent. Barbosa, *loc. cit.*, n. 17, cum aliis *ibi* allegatis; Monacell., *loc. cit.*, n. 2, et quod presentati ad beneficia dicantur aretati, expresse declaravit sacr. congreg. Episcoporum, in *Squillacen.* 3 Januar. 1594, apud Nicolium, *loc. cit.*, n. 70, vers. *Presentati*, et Monacell., tom. I, tit. 1, formul. 2, n. 21.

(6. Post annum vero a die vacationis sedis episcopalis potest vicarius dimissorias ad ordines quibuscunque suis subditis etiam non aretatis concedere. Colligitur clare ex conc. *Trid.*, cit. sess. vii, cap. 10, et expresse declaravit sacr. congreg. ejusdem conc., apud Garciam, *De beneficiis*, part. v, cap. 7, n. 93, et Pellegrinum, l. c., subsection. 2, n. 5, et sacr. cong. Episcop. in *Neapolitana* 12 Jan. 1604, et in *Aleriana* 24 Jan. 1653, apud Nicolium, *loc. cit.*, n. 70, ubi declaravit concedere dimissorias post annum spectare ad vicarium capitularem, et non ad capitulum.

(7. Potest vicarius capitularis etiam ante lapsum anni concedere licentiam extero episcopo exercendi pontificalia in ecclesiis diocesis, et ordines conferendi clericis exteris habentibus litteras suorum episcoporum, non tamen clericis subditis vacantis Sedis. Sac. cong. Conc., in *Brixien.* 16 Maii 1705; Barbosa, *De canonicis et dignitat.*, c. 42, n. 124; Quaranta, in *Summa Bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 11; Navarr., consil. 27, *De tempor. ordinat.*; Mofesius, in *Summa*, tract. 2, c. 2, n. 28; Piasec., part. 1, c. n. 13, pag. 39; Marcus Anton. Genuens., in *Praxi archiep. Neapolitan.*, c. 87, n. 33; Marcian., part. vi, c. 3, n. 16; Fornar., *De ordine*, c. 5, n. 8, vers. *Quarto nota*, et alii.

(8. Potest vicarius ante lapsum anni obtinenti facultatem a Sede Apostolica de suscipiendo ordine cum licentia sui ordinarii, hanc licentiam subordinatam concedere. Navarr., consil. 20, *De temporibus ordinat.*; Piasec., *loc. cit.*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 123, et alii.

(9. Potest vicarius capitularis dare licentiam episcopo externo confirmandi, ecclesias consecrandi, reconciliandi, et alia ad usum pontificalium spectantia exercendi in sua jurisdictione. Sac. congreg. Episcop., in *Nepesina* 15 Decembris 1603; apud Nicol., *loc. cit.*, num. 3, et Pellegrinum, *loc. cit.*, subsection. 1, n. 6.

(10. Et ipsemet vicarius potest ecclesiam non consecratam reconciliare. Sac. cong. Rit., in *Hidrutina* 15 Dec. 1632, apud Bonfadin., in *Thesaur. eccles. dec.*, resol. 51, num. 23, et Barbos., in *Summa collectan.* 712, n. 4.

(11. Potest vicarius capitularis diocesim visitare per se vel per alium, et in visitatione decreta facere, dummodo sit lapsus annus a postrema visitatione, nec faciat novitates. Sac. cong. Episc., in *Lancianen.* 10 Jun. 1629, et *Pampilonen.* 3 Februar., eodem anno in *Materan.* 10 Dec. 1604, cum famulatu et comitatu solito a conc. *Trid.* sess. 24, c. 3, *De reform.* præscripto. Sac. cong. Conc., in *Limana* 10 Maii 1629.

(12. Item potest diocesanam synodum congregare elapso anno ab altera synodo ultimo celebrata. Sic decisum fuisse a sacr. cong. Conc. referunt Garcias *De benefic.*, part. ix, cap. 2, n. 8; card. Petra, tom. V, *Comment. ad constitut. 4 Calixti III*, sect. 2, n. 113, et alii plures. Vide verb. *SYNODUS*, n. 11.

(13. Et eo tempore, quo synodum celebrat, potest eligere examinatores synodales, extra vero illam non potest, sed uti debet electis antea. Sac. congreg. Episcop., in *Neapolitana* 12 Jan. 1604.

(14. Item concursum ad parochiales vacantes, tempore sedis vacantis facere potest, ut poterat episcopus, servata forma concilii. *Trident.*, sess. xxiv, c. 18, De reform., magis idoneum eligere, et approbationem ad Sanctiss. Dominum, ejusque eminentiss. datarium mittere pro confirmatione electionis. Sacra congregat. Episc. in *Ravennaten.* 3 Februarii 1604.

(15. Potest executioni demandare litteras episcopo per sacram congregationem directas, et ab illo non executas. Sac. congreg. Episc. et Regul. die 10 Apr. 1615.

(16. Vicarius capitularis potest absolvere a censuris, et dispensare in irregularitatibus ex delictis occultis Sedi apostolicæ reservatis provenientibus, in quibus est id concessum episcopis a concilio *Tridentino*, sess. xxiv, *De reform.*, cap. 6. Sic sacra congregat. Concil. 3 Dec. 1632 apud Barbosam, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 24, n. 62 in fine, et in *Summa Apostolic. dec.*, collectan. 717, n. 5, et Pellegrinum, *loc. cit.*, subsection. 2, n. 22.

(17. Item potest vicarios idoneos parochialibus vacantibus deputare, donec de rectore provisum sit, et proponere edicta ad concursum. Sac. congreg. Concil., apud Aldan., in *Compendio canonic. resolut.*, lib. I, tit. 43, n. 46, et Barbos., in *Summa, loc. cit.*, n. 25. Vide *supra*, n. 14.

(18. Item potest sibi substituere vicarium ad modicum tempus propter ejus absentiam vel infirmitatem; hoc enim spectat ad ipsum, et non ad capitulum. Sac. cong. Concil., apud Pellegrin., *loc. cit.*, n. 26, et apud Barbosam, in *Summa, loc. cit.*, n. 9. Vide verb. *CAPITULUM*, art. 3, n. 64.

(19. Item potest sine adjunctis procedere, si episcopus, dum vivebat, auctoritatem ha-

bebat procedendi sine illis; si vero episcopus hoc privilegio non gaudebat, ita nec vicarius capitularis. Sacr. congr. Conc., apud Barbos., in *Sum.*, l. c., n. 7; Garciam, *De benefic.*, part. v, cap. 7, n. 32, et Pellegrin., *loc. cit.*, n. 27.

(20. Item potest cognoscere causas matrimoniales. Sacr. congr. Conc. 30 Maii 1602.

(21. Item potest visitare moniales non exemptas, exemptas vero non potest. Barbos., l. i *Juris eccl. univers.*, c. 32, n. 71; Garcias, *loc. cit.*, c. 7, n. 45; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 23, et alii passim.

(22. Moniales tamen exemptas potest visitare in iis, in quibus datur episcopis facultas perpetua visitandi tanquam Sedis apostolicæ delegatis. Talis enim delegatio cum sit facta episcopis in perpetuum, est pars jurisdictionis ordinariæ, et sic transit ad vicarios capitulares. Barbosa, *De canonic. et dignitatibus*, cap. 42, n. 107, et lib. i *Jur. eccl. univers.*, cap. 32, n. 31 in fine; Molina, *De justitia*, tract. 5, disp. 11, n. 8, *loc. cit.*, n. 24, et alii passim.

(23. Vicarius capitularis potest conferre illa beneficia, quorum collatio spectabat ad episcopum per devolutionem ob negligentiam inferioris. Abbas in c. 2, n. 1, *Ne Sede vacante*; Quaranta, in *Summa Bullar.*, q. 1; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 30, et alii.

(24. Item potest in beneficiorum permutationibus auctoritatem interponere et consensum præstare quando collatio partim spectat ad capitulum, et partim ad episcopum: non autem in aliis casibus. Garcias, *De beneficiis*, part. xi, cap. 4, a n. 75; Barbosa, lib. i *Jur. eccl. univers.*, cap. 32, n. 57; Quaranta, *loc. cit.*, q. 10; Diana, part. viii, tract. 5, resol. 19; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 31, et alii.

(25. Item potest unire beneficia in omnibus casibus quibus potest episcopus: dummodo nihil præjudicetur juri episcopali. Garcias, *De benefic.*, part. xii, cap. 2, n. 67 et 68; Zerola, *Prax. episcop.*, part. i, verb. *Unio*, § 11, et part. ii, verb. *Capitulum*, § 4; Quaranta, *loc. cit.*, q. 9, vers. *Quæ conclusio*; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 32, et alii.

(26. Item potest commendare Ecclesias ad tempus donec provideantur. Barbosa, *cit.* lib. i, cap. 32, n. 94; Molina, *De justitia*, tract. 3, disp. 11, n. 11, vers. *Licet*; Zerola, *loc. cit.*, part. i, verb. *Capitulum*, § *Ad quintum*; Rebuff., in *Praxi benefic. cit.*, De devolut. n. 77 et 80; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 34, et alii.

(27. Item potest dare licentiam ædificandi ecclesiam, et ut acquiratur jus patronatus. Pellegrin., *loc. cit.*, num. 35; Lambertin., *De jure patronat.*, lib. i, p. i, q. 5, art. 9; Pavinus, *De potestat. capit.* *Sede vacante*, part. v, q. 1, num. 5; Barbosa, *De offic. et potest. episcopi*, part. iii, allegat. 70, num. 32; Garcias, *De benefic.*, part. v, cap. 9, num. 79, et alii.

(28. Item potest dispensare cum illegitimis, etiam ex damnato coitu, ad minores ordines, et ad beneficium simplex cum cau-

sa. Barbos., lib. i *Juris eccl.*, cap. 32, num. 81, et part. ii *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 45, num. 25; Quaranta, in *Summa Bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 9, vers. *Secundo quæro*; Navarr., consil. 31, quod incipit: *An capitulum, de temporibus ordinat. in antiq.*, et consil. 7, *De filiis presbyter.*, et alii.

(29. Item potest suspendere, excommunicare, interdicere, privare et absolvere, cap. *His quæ in fine*, De majorit. et obedient. cap. unic. eod., in 6; Pellegrin., *loc. cit.*, num. 40; Rebuff., *loc. cit.*, tit. *De devolut.*, num. 63, et alii apud Dianam., part. viii, tract. 4, resol. 11. *Vide supra*, num. 16, ubi fuit conclusum, posse vicarium capitularem absolvere ab omnibus censuris, et dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, a quibus potest episcopus vigore facultatis concil. *Tridentini*, sess. xxiv, cap. 6, *De reformat.*

(30. Unde potest monitoria ad finem revelationis concedere, quia est actus jurisdictionis necessariæ, ut est excommunicationis promulgandæ facultas. Sic declaravit sac. congr. Concil. 26 Octobris 1590, apud Pellegrin., *loc. cit.*, num. 56, et tenent doctores communiter.

(31. Item potest gratiam facere subditis, ipsisque remittere pœnas per episcopum mortuum impositas; cum hoc sit de jurisdictione ordinaria. Riccius, tom. I *Prax. fori ecclesiastic.*, resolut. 302; Novarius, in *Summa bullar.*, tit. *De capitul. Sede vacante*, n. 12; Marcell. Vulp., in *Prax. eccl.*, cap. 44, num. 17; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 64. Alii tamen apud ipsum, *loc. cit.*, n. 64, sentiunt contrarium. Unde *vide verb. POENA*, art. 1, n. 64, ubi affertur decretum S. cong. Concil. et tene sicut ibi.

(32. Item dispensare potest in interstitiis, sicuti potest episcopus, virtute concilii *Trid.*, sess. xxiii, *De reformat.*, cap. 11, 13, 14, ex causis ibi expressis. Sic declarasse sacram congregationem Concilii testantur Marcell. Vulp., *loc. cit.*, cap. 44, n. 27; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 47, et alii. *Vide verb. INTERSTITIA*, num. 12.

(33. Item potest statuta facere, quæ totam diœcesim obligent etiam tempore episcoporum successorum, donec revocentur. Pavinus, *De potestate capitul. Sede vacante*, part. i, q. 6; Marcell. Vulp., *cit.* cap. 44, num. 16; Zerola, *loc. cit.*, verb. *Capitulum*, § 15; Quaranta, *loc. cit.*, vers. *Quæro secundo*; Pellegrin., *loc. cit.*, num. 42, et alii.

(34. Potest compellere religiosos, qui fuerunt executores testamentarii, ad reddendas rationes administrationis. Pavinus, *loc. cit.*, q. 7, num. 6; Azorius, *Institut. moral.*, part. ii, lib. iii, cap. 39, sub q. 6; Barbosa, part. iii *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 82, num. 25; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 44, et alii.

(35. Item potest exigere rationes ab administratoribus piorum locorum. Quaranta, *loc. cit.*, vers. *Septimo*; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 45; Zerola, *loc. cit.*, part. ii, verb. *Capitulum*, § 9, et alii passim.

(36. Item potest approbare confessarios pro sacramentalibus confessionibus excipiendis. *Communis.*

(37. Item potest matrimonio celebrando assistere, et alteri sacerdoti assistendi licentiam concedere. *Communis.*

(38. Item potest licentiam concedere, ut novitii per duos menses ante professionem possint disponere de suis bonis, et donationem, vel cessionem facere cuicumque voluerint secundum formam concilii *Tridentini*, sess. xxv *De regularibus*, cap. 16. *Communis.*

(39. Tandem vicarius capitularis potest exercere omnem jurisdictionem competentem episcopo de jure communi ordinario, non autem de jure speciali sive delegato; succedit enim vice capituli in totam jurisdictionem episcopi, et potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ nisi expresse prohibita reperiantur, cap. *His quæ 11*, cap. *Cum olim 14*, De majorit. et obedient., cap. unic. eod. in 6, cap. *Ad abolendam*, De hæreticis, cap. penultim., et cap. *ultim.*, *De supplenda negligentia prælator.*, cum similibus. Et sic tenent doctores passim.

(40. An autem vicarius capitularis possit totam dictam jurisdictionem exercere etiam in illis casibus, in quibus vicarius episcopi non posset sine speciali mandato, seu an totam prædictam jurisdictionem episcopi transeuntem Sede vacante in capitulum possit vicarius capitularis exercere sine speciali mandato ipsius capituli, etiam in iis quæ speciale mandatum requirunt? Variant doctores. Affirmativam enim sententiam tenent Guttierrez, *Canonic. q.*, lib. i, cap. 11, num. 10, vers. *Id quod hodie*; Gennens., in *Praxi archiepiscop. Neapolitan.*, cap. 86, num. 5; Molina, *De justitia*, tract. 5, disp. 11, num. 4; Nicolaus Garcias, *De benefic.*, part. v, cap. 7, num. 28; Diana, part. vi, tract. 7, resol. 41 in princip., vers. *Secundo videtur*. Et ratio est quia cum concil. *Trid.*, sess. xxiv *De reformat.*, cap. 16, arctet capitulum ad eligendum infra octo dies vicarium, qui totam jurisdictionem exerceat, non videtur necessaria alia specialis commissio et impartitio specialis mandati; maxime quia per declarationes sacræ congregationis capitulum post electionem vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, cum post electionem tota jurisdictione episcopalis transeat in vicarium capitularem privative quoad capitulum, non cumulative. Sac. congreg. *Episcop. in Hydruntina* 1 Octobris 1655, et in *alia Neritonem*. 17 Septemb. ejusdem anni. Et jurisdictionem vicarii capitularis eadem sit in his quæ sunt juris communis, quæ fuit episcopi, sac. congreg. *Episcop. in Reatina*. 21 Novemb. 1603. Negativam autem sententiam, nempe non posse vicarium capitularem facere omnia ea quæ speciale mandatum requirunt, si illud non habeat, nec veniunt vigore mandati generalis; seu in vicarium capitularem non transire ea quæ requirunt speciale mandatum, docent Pellegrinus, *loc. cit.*, subsection. 2, num.

67, et alii apud ipsum, Barbosa, in *Summa collectan.* 707, num. 13, ubi ex decreto sacr. congr. Concilii dicit, quod vicarius capitularis deputatus cum generali commissione, non habet facultatem faciendi illa quæ indigent speciali delegatione. Fagnanus, in cap. *A nobis* 21, num. 49, De sententia excommunicat., dicens, sic sæpius respondisse sacram congregationem Concilii; Piasec., in *Praxi episcop.*, part. ii, cap. 1, num. 18, referens sic declarasse sacram congregat. Concilii die 5 Decembr. 1632, in *una Camenecen.*, in qua dubitatum fuerat pro parte dicti episcopi Camenecen. « An facultas competens episcopis vigore concilii *Tridentini*, cap. 5, sess. xxiv *De reformat.*, transferatur in vicarium capitularem Sede vacante? Et sac. congr. Cardinal. concilii *Tridentini* interpretum inhærendo declarationibus alias factis, respondit, eam facultatem transferri in vicarium capitularem Sede episcopali vacante, dummodo talis facultas specialiter per capitulum eidem vicario tributa fuerit. » Et ita etiam tenuit Rota in *Maurianensi Pensionis* 23 Junii 1626, coram D. Pirovano in fine, et in *Burgen. canonicatus coram D. Gypso*. Addit. ad Garciam *De benefic.*, part. v, cap. 7, n. 10, vers. *Sed postea*. Et ratio est, quia concilium *Tridentinum* nihil disposuit de hoc, sed solum arctavit capitulum ad constituendum vicarium infra octo dies, et nihil aliud sancivit; unde casus omissus remanet in dispositione juris communis, quando lex nova nihil disponit; ante autem concilium *Tridentinum* in vicarium capitularem non transibat major potestas, quam in vicarium episcopi, ut tradunt Pavinus, *De potestate capituli Sede vacante*, q. 10, n. part. n. 17; Mandos. in regul. 24 *Cancel. lar.*, q. 6, n. 10; Sbroz, *De vicar. episcop.*, lib. ii, q. 4, n. 5; Quaranta, in *Summa bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 2, n. 15, vers. *Circa quam commissionem*: ergo, ut concludit Pellegrin., *loc. cit.*, n. 47, cessat omnis dubietas, cum etiam accedant prædictæ declarationes sacræ congregationis Concilii, et Rotæ Romanæ decisiones; unde nisi praxis sit in contrarium, non est ab hac opinione recedendum, in praxi autem servari, quod quotiescunque eligitur vicarius capitularis, a capitulo detur illi omnis facultas quam capitulum habere et dare potest, etiam in his quæ speciale mandatum requirunt, fatentur non pauci; adeoque in hoc servanda est praxis et legitima consuetudo cujusque diœcesis ac provinciæ, arg. c. *Cum tanto* 11, De consuetudine. *Vide verb. JURISDICTIO*, n. 18, ubi conclusum fuit, jurisdictionem vicarii capitularis esse ordinariam.

(41. Non potest vicarius capitularis infra annum a die vacationis Sedis episcopalis concedere dimissorias ad ordines non arctatis, textu expresso in concilio *Trident.*, sess. vii, cap. 10, *De reformat.*

(42. Imo neque potest infra dictum annum dimissorias concedere non arctatis ad primam tonsuram. Barbosa, ad concil. *Trid.*, cit. sess. vii, cap. 10, n. 2; Quaranta, *loc.*

cit., verb. *Capitulum Sede vacante*, vers. *Decimo quæro*; Garcias, *De beneficiis*, p. v, c. 7, n. 95; Moneta, *De commutat. ult. volunt.*, c. 10, n. 173; Riccius, *decis.* 175, n. 2, part. iv; card. de Luca, *Supra concil. discurs.* 31, n. 32; Ventriglia, in *Praxi*, part. ii, adnot. 15, § 1, n. 32; Pellegrin., *loc. cit.*, subsection. 3, n. 4; Majol., *De irregular.*, lib. iv, c. 2, n. 3; Monac., tom. III, tit. 2, formul. 3, n. 3 seq., ubi recedendo a contraria sententia quam tenuerat tom. I, tit. 1, formul. 2, n. 23, solide probat hanc nostram sententiam, et sic tenent plures alii. (43. Potest tamen dimissorias ad primam tonsuram concedere iis, qui sunt presentati a patronis laicis ad beneficia jurispatronatus ipsorum, ut sic illa obtinere valeant, qui tales presentati ad dicta beneficia dicuntur arctati, ut declaravit sac. congr. Concilii, in *Squillacen.* 3 Januarii 1694, et tenent supracitati doctores, et alii passim.

(44. Neque potest vicarius capitularis infra dictum annum concedere dimissorias ad ordines, etiamsi capitulum habeat territorium distinctum et exemptum, et pacifice possideat ab immemorabili, et in eo jurisdictionem ordinariam habeat. Riccius, in *Decis. curiæ episcopalis*, decis. 184, part. iv; Quaranta, *loc. cit.*, vers. *Decimo quæro*; Barbos., *Supra concil.* cit. sess. vii, cap. 10, n. 14; Pelleg., *loc. cit.*, n. 6, et alii.

(45. Vicarius capitularis concedens infra dictum annum dimissorias non arctatis incidit in pœnam interdicti, juxta dispositionem concilii *Trid.*, cit. sess. vii, cap. 10, et non in pœnam suspensionis per annum juxta cap. 10, sess. xxiii; Barbosa, *Supra concil.* cit. sess. vii, cap. 10, n. 18; Molina, *De justitia*, tract. 5, disp. 11, n. 4; Francisc. Leo, in *Thesaurio fori eccles.*, part. iii, cap. 8, n. 48, et alii. Ita quod non prohibetur concedere alias dimissorias. Rota, in *Burgensi canonicatus* 17 Octobris, et 28 Novembris 1586, *coram Gypso*.

(46. Et dicta pœna incurritur a vicario capitulari, quamvis is cui concessit dimissorias usus non fuerit; quia actus jam fuit consummatus quoad vicarium concedentem, cum per ipsum non steterit: sic decisum fuisse a sac. congr. Concilii referunt Garcias, *De benefic.*, part. v, cap. 7, n. 92, in addition.; Barbosa, *supra Concil.* cit. sess. vii, cap. 10, n. 19; Marchin., *De sacrament. ordinis*, tract. 1, part. vi, cap. 3, n. 15, *loc. cit.*, n. 4.

(47. Sic ordinati cum dimissoriis vicarii capitularis infra annum a die vacationis sedis episcopalis, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudent; et si in majoribus, remanent suspensi ab executione ordinum ad beneplacitum futuri episcopi, textu expresso in cit. sess. vii, cap. 10, n. 20; Barb., *1 i Juris ecclesiast. univers.*, cap. 32, n. 121, ubi ex Marchin., cit. part. vi, cap. 3, n. 13, subdit, dictam pœnam privationis privilegii clericalis hodie non incurri, nisi post judicis declarationem, juxta

constitutionem SS. D. N. Urbani VIII, contra male promotos.

(48. Non posse vicarium capitularem infra annum dictæ vacationis concedere licentiam episcopo externo commoranti in diocesi, ut ordinet regulares etiam prævio examine per ipsum vicarium facto, tenent Barbosa, *Supra concil.*, cit. sess. vii, cap. 10, n. 3, et tractat., *De canonicis et dignitatib.*, c. 42, n. 121, et lib. i *Juris eccles.*, cap. 32, n. 121; Rague., *De voce canon.*, part. xxxix, n. 4. At rectius contrarium docent Navarr., *consil.* 27, *De temporibus ordinat.*; Quaranta, *loc. cit.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 11; Genuens., in *Prax. archiepiscop. Neapolitan.*, c. 87, num. 33; Piasec., in *Prax. episcopor.*, part. i, cap. 1, n. 13.

(49. Licet non possit nunc vicarius capitularis dimissorias ad ordines concedere infra annum non arctatis, ex nova dispositione concilii *Trid.*, sess. vii, cap. 10, et sess. xxiii, cap. 10, *De reform.*; poterat tamen ante concilium de jure communi illas concedere indistincte arctatis et non arctatis, cap. *Cum nullus* 3, *De temporibus ordinat.*, in 6.

(50. Dimissoriæ a vicario capitulari, sive post annum, sive intra annum a die vacationis in casu permissio rite et recte concessæ non expirant per ingressum novi episcopi, quia gratia semel obtenta, non expirat morte concedentis, cap. *Si super gratia* 9, *De officio delegati* in 6, cap. *Si cui* 35, *De præbend.*, in 6. Et sic tenent passim doctores recte notantes quod licet de jure tales dimissoriæ non expirant, potest tamen novus episcopus illas per arctatum revocare, sicuti et omnes alias ab episcopo prædecessore concessas similiter annullare.

(51. Quamvis vicarius capitularis nequeat infra dictum annum dimissorias ad ordines concedere non arctatis, potest tamen expedire intra dictum annum illas dimissorias, quas episcopus defunctus nominatim concesserat ante obitum, et morte præveniente non expedierat. Sac. congr. Conc., in *Mexicana Litterarum dimissorialium* 24 Aprilis 1700, apud Monacell., tom. I, tit. 4, formul. 5, n. 2. (52. Talis enim concessio dimissorialium est gratia, quæ non expirat morte concedentis per jura adducta num. antecedenti.

(53. Vicarius capitularis non potest concedere indulgentias. Card. Petra, tom. III *Commentar. ad constitut. 16 Alexandri IV*, n. 28, ubi dicit quod in hanc sententiam videtur fuisse sac. congr. Conc. sub die 13 Novembris 1688, ibi: « Dubium indulgentiarum. Quæritur an vicarius capitularis, Sede episcopali vacante, facultatem habeat concedendi indulgentias, quas cæteroquin concedere potest episcopus vivens? » Sacra congr. respondit: « Vicarius se abstineat. » Et sic tenent archidiaconus in cap. 1 *De pœnit. et remissionibus* in 6; Cardinal., in cap. *Accedentibus* 12, *De excessibus prælator.*; Fagnan., *ibid.*, n. 17; Sotus, in 4, dist. 21, q. 1, art. 4; Lavorius, *De indulgentiis*, part. ii, cap. 11, n. 52; Pax Jordan., tom. I, lib. v, tit. 16, n. 27; Bonacina, tom. I, disp.

6, *De indulgent.*, q. 1, punct. 3, n. 23; Monacell., t. IV, supplement. ad III tom., n. 64, ubi dicit, quod posset vicarius capituli accusari tempore Sedis vacantis ipsum contempsisse indulgentias, quas episcopus vivens concedere consuevit; nam talem potestatem vicarium Sedis vacantis non habere constat ex declaratione sac. cong. Conc. 13 Novembris 1688, quæ, dubio proposito, respondit: « Abstineat; » Barbosa, part. iii *De offic. et potestat. episcop.*, allegat. 88, n. 21, cum Navarr., Selu., Cordub., Ledesma, Torreblanca, Henrig., Suarez, Reginald., Sanctarell., Rhedo, et aliis, contra Silvestrum, Lazarium, Zerolam, Aloysium Riccium, Azorium, et alios, et etiam contra ipsum Barbosam, lib. i *Juris ecclesiast.*, cap. 32, n. 91, et tractat. *De canonicis et dignitatibus*, cap. 42, n. 91. Et ratio nostra est, quia licet concedere indulgentias sit actus jurisdictionis, est tamen actus reservatus dignitati episcopali, cum sit de majoribus; cap. *Accedentibus* 12, *De excessibus prælatorum*; ubi Fagnan. n. 17, cum pluribus ibi citatis, adeo ut etiam auctores contrarii fateantur tutius esse, quod capitulum seu vicarius committat alicui episcopo, ut indulgentias concedat nomine ipsius capituli.

(54. Vicarius capitularis Sede vacante nequit quidpiam innovare in præjudicium Ecclesiæ, aut episcopi. *Communis*, textu expresso in c. *Novit ille* 1, *Ne Sede vacante*.

(55. Neque potest consumere, aut aliquo modo in proprios vel alienos usus convertere bona, Sede vacante, Ecclesiæ relicta, aut eo tempore collecta; et si secus fecerit, tam ipse quam quilibet alius id faciens, remanet suspensus ab officio et beneficio, non obstantibus quibuscunque privilegiis, statutis, consuetudinibus, textu expresso in cap. *Quia sæpe* 45, *De election.*, in 6.

(56. Neque potest conferre beneficia spectantia ad solam collationem episcopi, textu expresso in cap. *Ille* 2, *Ne Sede vacante*.

(57. Et hoc etiamsi collatio spectaret ad episcopum cum consensu vel consilio capituli, quia adhuc capitulum Sede vacante, conferre non potest, c. unico, § *Cum vero*, *Ne Sede vacante*, in 6.

(58. Potest tamen conferre beneficia illa, quorum collatio spectat ad episcopum et capitulum simul, textu expresso in c. unico, *Ne Sede vac.*, in 6.

(59. Neque potest suppressere beneficium et unire capitulo. Sic declarasse sac. congr. Concilii super cap. 15, *De reformat.*, sess. xxiv, refert Pellegrinus, *loc. cit.*, subsect. 3, n. 21.

(60. Neque potest donationem jurispatronatus confirmare, nam in illa debet necessario intervenire episcopi consensus. Rota apud Farinac., dec. 257, num. 1, part. ii, recent., decis. 586, p. i, recent.; Gratian., *Discept. forens.*, cap. 303, n. 10, cum seq.; Lambertin., *De jurepatronat.*, lib. i, part. ii, q. 1, art. 2, n. 3 et art. 4, per tot.; Pellegrin., *loc. cit.*, n. 22, et alii. * Verius contrarium, cum nullibi id sit prohibitum vicariis, ut rectius docent Garcias, Quaranta, et Ventrig-

gla apud Gagliard., *De jur. patron.*, cap. 6, n. 36*.

(61. Neque potest substituere novos examinatores in locum examinerum absentium, aut defunctorum; sed curare debet, ut elapso anno, alii in locum demortuorum eligantur in synodo, alioquin pro legitimis non habebuntur qui supererunt. Sac. cong. Conc., apud Garciam, *De benefic. in addit.*, part. v, c. 2, n. 78, et Barbos., in *Sum. Apostol. dec.*, collectan. 717, n. 14, et Pellegrin., *l. cit.*, n. 24.

(62. Neque potest exsequi commissiones Apostolicas in forma dignum, et alias directas episcopo, vel ejus vicario generali intuitu officii, vel sub nomine dignitatis. Sac. cong. Concil. 2 Aug. 1031, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 11.

(63. Neque potest expedire dispensationes matrimoniales directas episcopo et ejus vicario generali. Sac. cong. Concilii 24 Maii 1721, apud Barbos., *loc. cit.*, n. 12.

(64. Neque potest cognoscere causas confugientium ad ecclesiam, vel ab illa extractorum. Sac. cong. Immunit. 15 Feb. 1633, apud Barbosam, *l. c.*, n. 15.

(65. Neque prohibere potest, ne quis, Sede vacante, promoveatur ad ordines. Sac. cong. Episcop., in *Syracusama* 13 Martii 1604.

(66. Neque potest licentiam concedere erigendi nova monasteria et conventus. Sac. cong. Episc. 19 Feb. 1633.

(67. Neque potest suspendere, et iterum examinare confessarios regulares ab episcopo defuncto examinatos, et simpliciter approbatos absque præfixione temporis, vel ad tempus nondum elapsam, propter privilegium quod habent a Clemente IV, ut sæpius declaravit sac. cong. Conc. Pellegrin., *l. c.*, n. 31, et alii passim. *Vide* verb. *APPROBATIO*, art. 1, a n. 54 ad 58, ubi assertur dictum privilegium, et dantur citata decreta.

(68. Neque potest, neque debet expedire causas, quæ patiuntur dilationem, imminente provisione Ecclesiæ, nisi fuerint sibi specialiter delegatæ, sed relinquere expeditionem novo episcopo. Sic declaravit sac. cong. Episcopor., in *Neapolitana* 17 Maii 1594, et in *Narnien.* 15 Maii 1601, et 21 Maii ejusdem anni. Sic pariter debet tali tempore imminentiæ novi episcopi abstinere a dandis dimissoriis seu testimonialibus ad ordines. S. cong. Episcopor., in *Brixien.* 20 Novemb. 1654.

(69. Adducitur novissima resolutio sacræ congregationis Concilii quoad aliqua dubia de vicario capitulari in ipsa proposita, ut sequitur:

I. « An vicario capitulari Turritano liceat procedere in causis canonicorum Ecclesiæ metropolitanae, tam in communi quam in particulari, non obstante illius suspitione seu recusatione per eosdem canonicos, seu capitulum allegata in casu, etc.

II. « An competat capitulo metropolitano Turritano facultas recipiendi recusationes vicarii capitularis per diocesanos Turritanos propositas seu proponendas, et respe-